

• S • G • B • T • B •



• T • G • G • T •



z. B. A. h

W. A.

J. q. 259.



COLLEGII SECUNDI
In Augustanam Confessionem
DISPUTATIO V.

CONTINENS
ANTIΘΕΣΙΝ ARTICULI IV.

DE QUÆSTIONE,
An peccata penitus
tollantur in Justificatione,

Proposita

In inclutâ Electorali Academiâ V Vittebergenſi,

PRÆSIDE

JACOBO MARTINI, SS. Th.

D. & Profess. Publ. Primario, Facult. Theol.

Seniore, ac Templi Arcis Præposito:


RESPONDENTE

M. NICEPHORO KESSELIO,

Stolbergâ-Cherusco.

Habebitur in Auditorio Collegii Veteris

Ad diem 29. Augusti.



WITTEBERGÆ,

Typis Hæredum SALOMONIS AVERBACH,

ANNO M DC XXIX.

COLLEGIUM SECONDI
In Augustana Consistorio
DISPUTATIO
CONSTITUTIO
ANNO DOMINI
DE QUASTIONE
An peccata penitentia
colligantur in justificatione
Propositio
In hunc modum
JACOBO MARTINI SS. Th.
D. & Prof. Publ. Primario, Facult. Theol.
Seniore, ac Ampli Auct. Expector.
M. NICOLAI HORO KESSELIO,
Stolbergi-Cherico.
Habitante in hunc tenore Collegii Ketenis
die 20. Augusti
WITTEBERGAE
Typis Heroldianis SALOMONIS AVERBACH
ANNO MDCXXIX



Continuatio.

Disputatione tertia monuimus, controversias in articulo de justificatione, à Pontificiis & Jesuitis nobis motas, esse partim de terminis, partim de re ipsa. De terminis, utpote *justificatio & justificare*; item *gratis & gratia*, egimus hactenus; consequens nunc est, ut ad ipsam rem progrediamur, videamusq; quomodo in justificatione & peccata ex injusto fiat justus. Ubi ductum Martini Becani in tract. 4. de justificatione secuti, considerabimus primum, quomodo nostram sententiam Jesuita impugnet, deinde quomodo suam & Pontificiorum confirmet. Illud facit cap. 2. duodecim quæstionibus, hoc cap. 3. quæstionibus tredecim. Neminem verò offendat, quod Becanus disputationes suas direxerit contra Calvinistas: Non Calvinianam doctrinam defendere hinc suscipimus, sed nostram, quam sub odioso titulo isto complectitur Jesuita: si verò quædam Calviniana, contra Lutheranam nostram orthodoxiam pugnantia alicubi occurrerint, suis ea locis indicabimus, & nostrum disensum perspicuè & sincerè declarabimus, contra utramq; sectam ex verbo DEI pugnaturi.

T H E S E S.

I. Nostram ergò de justificatione sententiam examinaturus & impugnaturus Jesuita, primam quæstionem ita format: *An peccata verè tollantur in justificatione.* Et deinde statum contro-

A 2

versie

versæ & nostram propositionem subjicit his verbis : *peccata non tolli in justificatione, sed tantum tegi, seu non imputari, tegi autem per justitiam Christi, fide apprehensam.*

II. Ubi Becanus statim in frontispicio suam prodit *ΟΙΣΤΗΝΥ*. Ut enim accuratè loquendo inter nos & Pontificios quæstio non volvitur : *an peccata VERE tollantur in justificatione : sed de hoc controvertitur : An in justificatione peccatum PENITUS tollatur : sic quoque status controversiæ & thesis nostra accuratè loquendo non est : peccata non tolli : sed peccata PENITUS non tolli in justificatione : sed PENITUS tegi per justitiam Christi fide applicatam.*

III. Nostram hanc esse sententiam dico : cum qua ex parte Calviniani consentiunt. Sic enim Lutherus conc. 3. Islebiæ habitâ, anno 1546. tom.8. Jen. Germ. pag. 301. b. *Deus remittit ita peccata, ut non imputentur, sicut David ait Psalm. 32. Beati, quorum remissa sunt iniquitates. Verùm inde non sequitur, te propterea sine peccatis esse, etiamsi remissa sint. &c.* Et tritum in nostris Ecclesiis illud Augustini : *In Baptismo peccata remittuntur, non ut non sint, sed ut non imputentur.* Et in cap 24. Genes. pag 305. b. scribit Lutherus : *Heret igitur & in sanctis peccatum, contra quod gratia acerrimè pugnat, & manet certamen inter spiritum & carnem &c.* Et Philippus Melanchth. part. 3. oper. in cap. 8. Matth. pag. 428. *Neceesse est confiteri omnes cum Davide : non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Et sentiunt singuli vehementer angere animos, ex terroribus prætorum peccatorum & conspectu præsentium sordium, quæ hærent in nobis, quasq; assiduè circumferimus. Hic neceesse est teneri hanc consolationem, de qua Psalmi concionantur : Beati, quorum remissa sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata : Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum. Intelligas autem, quomodo tecta sint, videlicet justitiâ Domini nostri Jesu Christi &c.* Et Chemnitius in exam. Trident. Concil. de Justific. Summam doctrinæ nostrarum Ecclesiarum de justificatione breviter reperit his verbis : *Quod homo justificetur, hoc est, in gratiam recipiatur, & acceptetur ad vitam eternam sola imputatione justitiæ Christi, vel sola remissione peccatorum, fide apprehendente misericordiam Dei, peccata remittentis propter Christum.*

IV. Si ergò justificamur sola remissione peccatorum & imputatione justitiæ Christi, utiq; peccata per justificationem
non

non penitus tolluntur, sed penitus reguntur & non imputantur propter apprehensam justitiam Christi. Sed in re clara & manifesta, quid opus demonstratione?

V. Dixi autem Calvinianos tantum ex parte nobiscum in hoc articulo consentire: quandoquidem in singulis justificationis causis à doctrina nostra deflectunt. Primum enim in causa efficiente negant gratiam Dei se extendere ad omnes homines, sive totum genus humanum: dum illam ad solos electos, quos Deus absoluto suo decreto, & nuda voluntate, sine ullo respectu ad Christum, vel fidem elegerit, restringunt. Unde omnes promissiones Evangelicas particulares faciunt. Deinde meritum Christi suam ἀλλοιωσιν enervant, & particulare faciunt. Tertio, negat Piscator meritoriam justificationis nostrae causam esse integram Christi obedientiam legi divinae praestitam, quam etiam credentibus imputari inficiatur, solam mortem Christi ad justitiam imputari affirmans. Quarto, neque de instrumento sive medio justificationis, hoc est, de fide, recte docent. Nam 1. labefactant fundamentum, quod est gratia, & dilectio Dei, Christi que meritum, dum ea ad paucos, nempe ad absolute electos, ut diximus, restringunt. 2. Docent fidem semel datam, nunquam amitti, ne quidem per peccata regnantia posse. 3. Negant infantes fide sua justificari, quippe quam neque habeant neque habere possint, atque sic illis justitiam non eadem ratione, qua adultis, imputari. 4. Nonnulli ex illis, ut puta, *Zyvinglius, Henricus Bullingerus, Rudolphus Gualterus, Sohnius, Emdenses contra D. Hunnium &c.* aperte docuerunt etiam sine fide multos Ethnicos justificatos, & salvatos esse. 5. Cum Papistis quidam conveniunt; ut *Gryneus, Piscator, Praxis & medulla Catechetica Marpurgensis &c.* non sola fide, sed etiam operibus perfici justificationem, dum docent, quod Deus ex misericordia sua nos servaverit per lavacrum regenerationis, & relevationem Spiritus Sancti, tanquam per quoddam lavacrum, quo à peccati sordibus abluimur, & fidem sufficere quidem ad salutem apprehendendam, sed non ad conservandam, ibi requiri amplius vitae emendationem, atque hanc conversionem perfici, fidemque & salutem in nobis conservari.

VI. His prælibatis ad Becanum revertimur, qui §. 2. dicit, propositionem datam tres complecti partes. 1. Peccata in justificatione non tolli, sed manere. 2. Manere quidem, sed tamen regi & occultari ne appareant. 3. Non imputari ad poenam. Has porro ordine discutiendas sumit; quem præeuntem, sequemur.

VII. Primum peccata in homine justificato manere & non tolli, id, ait, aperte pugnare cum verbo & sensu Scripturæ, derogare merito, ac passioni Christi, tollere vim & energiam Baptismi: Addit rationem. Verba, ait, Scripturæ clara & aperta esse, Johan. 1. v. 29. Ecce Agnus DEI, ecce qui tollit peccata mundi. Act. 3. v. 19. Pœnitimini & convertimini, ut deleantur peccata vestra. Hebr. 9. v. 28. Christus semel oblatuſ est ad multorum exhaurienda peccata. Michea 7. v. 19. Projicies in profundum maris omnia peccata nostra.

VIII. His Scripturæ dictis suppositis hunc in modum argumentatur Jesuita: Id, quod tollitur; deletur, exhauritur, & longissimè projicitur ab homine, certè non manet in homine: sed in justificatione peccatum tollitur, deletur, exhauritur & longissimè projicitur ab homine, ut restatur Scriptura: Ergo peccatum, teste scripturâ, non manet in homine justificato: errant ergo, qui asserunt manere.

IX. Primum in verum sensum Scripturæ inquiremus, deinde ad argumentum ex illis collectum respondebimus.

X. Quod attinet ergo primum dictum Johannis Baptistæ, Johan. 3. v. 29. Respondemus, si illud de reali ablatione peccati esset intelligendum, tum peccata ab universo mundo realiter essent ablata, proindeq; nemo hominum, imò neque ipsi impii ac infideles, ullum amplius in se realiter inhærens haberet peccatum: Quandoquidem satis clara sunt verba Baptistæ, quod Agnus DEI tollat peccata MVNDI, manifestè ostendens, Christum non unius, non duorum, non mille justificatorum, vel justificandorum peccata sustulisse; sed citra omnem prorsus exceptionem universa peccata, quæcunque à toto mundo seu humano genere, atque sic ab omnibus, etiam nunquam justificandis & salvandis patrari possunt, expiâsse.

XI. Primum ergo sic argumentamur ex mente Becani: Quorum peccata Agnus Dei sustulit, illi nulla in se habent peccata

Peccata manentia: Atqui totius mundi peccata, & sic omnium hominum, tam justificandorum, quam non justificandorum, Agnus DEI sustulit: Ergo nullus hominum, sive sit justificatus, sive non, in toto mundo habet peccatum in se manens: Et per consequens omnes homines sine exceptione sunt justi, sunt filii DEI, & haeredes vitae aeternae.

XII. Major est Becani. Minor est verus sensus dicti Johannis Baptistae: Sed conclusio est absurdissima. Qui enim non credit & justificatur, is in peccatis suis manet, proindeque non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum, *Johan. 3. vers. 36.* Quod etiam non negat Jesuita. Ergo falsa vel Major erit, vel Minor. Non minor; quia est ipsius Spiritus Sancti sententia. Ergo Major: & per consequens falsa est dicti Johannis explicatio & applicatio à Jesuita instituta.

XIII. Respondemus ergo distingvendum esse, inter ablationem peccati, qua Christus peccata nostra in se sustulit, & pertulit in corpore super lignum, *1. Petr. 2. v. 24.* quod certe non factum est per realem ablationem, sed tantum per imputationem: Quatenus Deus ipsum, qui non novit peccatum, pro nobis peccatum fecit, *2. Cor. 5. vers. ultim.* nempe imputando: Nam sensus est, quod non existentem re ipsa peccatorem aut injustum Deus per imputationem fecerit reum, Deo exosum, & ab ipso puniendum nostro loco, ut vicissim ejus justitia in nos per imputationem transferretur; Et deinde inter ablationem peccati, quae fit per remissionem. Ad summam! distingvendum est inter causam meritoriam nostrae justificationis, & ejusdem causam formalem: In testimonio Johannis agitur de ablatione peccati per imputationem: Quatenus Christus peccata nostra in se suscepit, & pro illis satisfecit; & sic de causa meritoria; nequaquam de absolute peccati, quae fit in justificatione, atque sic de causa formali justificationis, quae consistit in remissione peccatorum hominum, non omnium, sed tantum credentium, & vera fide Christi meritum apprehendentium. Nihil ergo ad rem facit allegatio dicti sive testimonii Johannis Baptistae.

XIV. Si verò Becanus velit argumentari à causa meritoria, ad causam formalem Justificationis: Sive à satisfactione Christi ad justificationem, tum argumentum non pro ipso, sed pro nobis concludet hoc modo: *Ut tulit Christus peccata mundi pro illis satisfaciendo: sic tollit peccata credentis ab illis absolvendo & justificando: At Christus tulit peccata mundi pro illis satisfaciendo sine reali peccati à mundo ablatione: Ergò etiam tollit peccata credentis ab illis absolvendo & justificando sine reali peccati à credente ablatione.*

XV. In dicto Act. 3. v. 19. fallit elencho phraseos: Nam *deletur peccata*, non significat peccata in nobis realiter extingui & sic totaliter & secundum essentiam auferri: sed *deletur* ex memoriali DEI. Quandoquidem *deletur peccata* more Hebræorum dicuntur, ac si in libro quodam essent omnia nostra malefacta aut debita à DEO diligenter adscripta, quæ quasi expunguntur per absolutionem, & applicatum meritum Christi. Est ergò metapora à creditoribus sumpta, penes quos solos debita è rationum suorum libris delendi jus est, atque potestas, ubi vel satisfactum fuerit à debitoribus, vel ipsi debitum omne ex gratia remiserint. Atqui Dei debitores fiunt, quicunque peccant, juxta illud Davidis: *Tibi DOMINE peccavi*. Et peccatum revera est, quod contra voluntatem DEI committitur. Nisi ergò Deus peccatorum debita deleat, ab illis nos nemo alius liberare poterit. Id verò factum est à Deo, quando Filius Dei Jesus Christus illa suo mortis merito in arâ crucis expiavit, adeoque sui sanguinis pretio omne hoc delevit, quod nos mortis reos coram Deo faciebat. Eodem sensu Dominus apud Esaiam cap. 43. v. 25. & 44. v. 22. delendi metapora utitur. Omnemque hujus causæ rationem Christus eleganti Metapora Matth. 18. v. 23. & seqq. explicat. Est ergò *deletur* nihil aliud, quam reatum peccati tollere: Taceo, quòd dictum illud nihil agat de justificatione, sed de satisfactione pro mundi peccatis, ideoque nihil facit ad rem.

XVI. Idem respondendum est ad locum Hebr. cap. 9. v. 28. Ubi decipitur Jesuita vulgata sua versione: Non enim in Græco est *exhaurire*, sed *attollere*, sive in humeros sublatum.

por-

portare : Sic enim Græcus textus habet : ἅπασι καὶ ὁ χριστὸς ἀπαξ
προσενχθὲς ἵνα τὸ πολλῶν ἀνεσγυεῖν ἀσπαρίας : Ita & Christus
semel oblarus, ut attolleret, sive in humeros sublata portaret multorum pec-
cata. Est itaque hoc in loco manifesta paranomasia inter προσ-
φέρειν & ἀναφέρειν, ex allusione ad sacrificandi ritum dicitur
Christus sese obtulisse, & peccata humeris suis imposita in a-
ram crucis sustulisse, sui videlicet oblatione expianda : ut scri-
bit eodem verbo usus Petrus 1. epist. 2. v. 24. uti etiam rursus Pau-
lus dicit Coloss. 2. v. 15. Christum cruci affixisse chirographum no-
bis adversarium ; quare & hic locus nihil agit de justificatione,
sed satisfactione, & expiatione peccatorum. Ergo nihil pro-
bat.

XVII. Dicitur Michæa 7. v. 19. quod attinet, agit illud
omnino de remissione peccatorum : Docetq; Deum non ita re-
mittere peccata, ut postea illorum vicissim recordetur, sicut
homines aliquandiu consueverunt iram dissimulare, donec
commodam occasionem se vindicandi adipiscuntur ; sed ita
remittit, ut omnem eorum memoriam sepeliat, quasi in pro-
fundum maris illa conjiciendo, inque abyssum demergendo.
Similibus metaphoris ac similitudinibus utitur Spiritus Sanctus
Psalm. 103. v. 11. 12. 13. & 14. ubi ostendit v. 11. misericordiam Dei
non esse angustam, ut paucis quibusdam hominibus sit exposi-
ta, sed super universum genus humanum tam latè expansam,
quam latè cælum terrarum orbem ambitu suo superat ac tegit,
neque ullum peccatum tam grande esse, quin major sit gratia
DEI, haud secus ac cælum, quod omnibus etiam altissimis
montibus est sublimius ; quod etiam docet Paulus Rom. 5. v. 20.
ubi abundat peccatum, ibi superabundat gratia. Deinde v. 12. docet
remissionem peccatorum nostrorum esse certam, immoram &
ex parte Dei planè immutabilem, quâ ita planè peccatum au-
fertur ab iis, qui verâ fide Christi meritum sibi applicant, ut
ortus ab occasu non possit esse tam remotus, quam procul à re-
conciliato homine peccatum in conspectu Dei abest. Tertio
versu 13. restatur Propheta, quod Deus multâ lenitate ferat no-
stram imbecillitatem & ignorantiam lapsus : quemadmodum
B paren.



parentes multa filiorum peccata dissimulant. Denique *vers. 14.* docet, Deum non moveri nostrâ vel præstantiâ, vel robore, vel virtute, vel merito, etiam tum, quando justificati sumus: sed ingenitâ nostrâ fragilitate. Videt Deus, nisi opem nobis ferat, ruere nos in æternum interitum: videt in nobis nihil residere virium, ex pulvere nos factos esse & in pulverem reverteri. Eoque significat Spiritus Sanctus, velle Deum, ut hanc nostram fragilitatem & æternam miseriam etiam justificati semper agnoscamus, & Dei misericordiam ac opem submissè imploremus. Qui enim non agnoscunt suam fragilitatem, sed putant se justificados posse jam propriis viribus mereri vitam æternam, illi superbè contemnunt misericordiam Dei, pœnitentiam intermittunt, & dum se justificados esse putant, minime justificati sunt, sed injustissimi omnium.

XII X. Ergo agitur hisce locis & in specie Micheæ c. 7. propriè 1. de deletione peccatorum nostrorum è memoriali DEI. 2. de maxima distantia inter fideles & ipsorum peccata non in ipsis, sed in conspectu DEI. 3. de superabundantia gratiæ DEI super peccatum etiam turpissimum, & maximum. 4. Et tandem ut David in hoc Psalmo, sic quoque apud Micheam omnes Sancti, & quibus remissa sunt peccata, non de sua innocentia & meritis in conspectu DEI gloriantur, sed peccata sua confitentur, etiam tum quando remissa sunt, agnoscantque imbecillitatem suam, & lapsus ignorantiam.

XI X. Unde sic argumentamur. Quorum peccata ita sunt projecta in profundum maris, ut etiam si deleantur è memoriali DEI, ipsi nihilominus mundati agnoscere & confiteri teneantur peccata sua, ignorantia lapsus, & imbecillitates, quodque sint figmentum & pulvis; illi non sunt sine peccatis: Atqui omnium justificatorum peccata ita sunt projecta in profundum maris, ut etiam si deleantur è memoria Dei, ipsi nihilominus justificati, & mundati teneantur agnoscere & confiteri peccata sua &c. Ergo nulli justificati sunt sine peccatis.

XX. Aliàs concedimus libenter, quod DEUS auferat à nobis peccata dupliciter. Primum remittendo, tegendo, &

non

non Imputando, tūm enim conscientia nostra in eo perinde
lætari potest, ac si uniuersa nostra delicta extincta essent in no-
bis. Deinde totaliter ex nostra natura excerpando per Spiritū
Sanctum adeo, ut ne vestigium quidem peccatorum remaneat:
Idq̄, præstabit misericors Deus noster resuscitando nos ex mor-
te, & iustitiā perfectā exornando.

XXI. Respondemus ergo ad Becani argumenti Majo-
rem per limitationem: Quodcunque propriè dicitur tolli, de-
leri & longissimè ab homine projici, id non manet in homine.
Jam ad minorem in iustificatē quidem peccatum dicitur tolli,
deberi & ab ipso longissimè projici, sed metaphoricè, & per si-
militudinem, non propriè: ut explicatum: Ergo sunt pote-
state quatuor termini in syllogismo; tolliturq̄ consequentia,
& conclusio Becani vi præmillarum nequaquam infertur.

XXII. Pergit Becanus §. 3. *Habemus verba scripturae. De
sensu videamus. Solet Scriptura res Spirituales, quia nobis occultae sunt,
explicare per corporeas & sensibiles ut manifestae evadant. Peccata inter
res Spirituales numerantur. Horum ergo naturam & foeditatem, non uno,
sed variis modis ac metaphoris Scriptura nobis proponit. Ac primo, vocat
maculas, sordes, inquinamenta, quibus homo maculatur, inquinatur ac
sordibus afficitur. Josuæ 22. v. 17. Usque in presentem diem macula hu-
jus sceleris in vobis permanet. Jer. 2. v. 22. Maculata es in iniquitate tua
coram me. Apoc. 22. v. 11. Qui in sordibus est, sordescat adhuc, & qui
justus est, justificetur adhuc Matth. 15. Non quod intrat in os, coinquinat
hominem, sed quod procedit de ore. Secundo, vocat vincula, funes &
eompedes, quibus homo ligatur, constringitur & captivus tenetur. Psalm.
115. v. 7. Dirupisti Domine vincula mea. Proverb. 5. v. 22. Iniquita-
tes suae capiunt impium, & funibus peccatorum suorum constringitur. Tertio,
vocat vulnera, livores & plagas, quibus homo sauciatur, vulneratur, & egre
afficitur. Isa. 30. v. 26. In die, qua alligaverit Dominus vulnus populi
sui, & percussuram plagae ejus sanaverit. Mich. 1. v. 9. Desperata est plaga
ejus. Quarto, vocat mortem & interitum, quo vita Spiritus deperditur.
1. Johan. 3. v. 14. Translati sumus de morte ad vitam. Quinto, vocat
vomitum, qui nauseam, & fastidium parit, 2. Petr. 2. v. 22. contigit eis
illud veri proverbii: canis reversus ad suum vomitum,*

XXIII. Notetur hîc, quòd Becanus Peccatum inter res spirituales numeret; cum potius per se & in se sit naturale & carnale. Probo, 1. Quodcunque homini inseparabiliter à nativitate inest, & sic congenitum & hæreditarium est; illud in homine non est spirituale, sed naturale & carnale: Atqui peccatum homini inseparabiliter inest à nativitate congenitum & hæreditarium: Ergò peccatum in homine non est spirituale, sed naturale & carnale. Major est extra omnem controversiam vera. Minor probatur: Jobi 14. v. 4. *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine?* Ibid. cap. 15. vers. 14. *Quid est homo, ut immaculatus sit, & ut justus appareat natus de muliere? Ecce inter Sanctos ejus nemo integer, cæli non sunt mundi in conspectu eius.* Genes. 6. vers. 5. & cap. 8. vers. 21. *Omnis cogitatio cordis humani, ac omne ejus figmentum tantum malum est ab adolescentia, omni tempore.*

XXIV. Deinde: Quodcunque hominem facit carnalem; illud non est spirituale, sed carnale & naturale: Atqui peccatum facit hominem carnalem: Ergò peccatum est naturale & carnale, non spirituale. Major est certa. Minor probatur; Quia peccatum est in carne, Rom. 8. vers. 3. Et facit ut homo sit in carne, Ibid. vers. 8. ut vivat secundum carnem, Ibid. v. 13. ut corpus propter peccatum sit mortuum, Ibid. v. 10. ut quod ex carne natum est, sit caro, Iohan. 3. v. 6. homoq; totus carnalis, Rom. 7. v. 14.

XXV. Tertio: Per quod sumus naturâ filii iræ, illud in se non est spirituale, sed naturale, & carnale: Per peccatum sumus naturâ filii iræ: Ergò Peccatum in se non est spirituale, sed naturale & carnale. Major est certa. Minor probatur. Sumus enim propter offensas & peccata naturâ filii iræ, Ephes. 2. vers. 13.

XXVI. Quarto: *Φεῖννα τῆς σαρκὸς* non est spirituale, sed carnale & naturale; quippe per quam homo dicitur animalis, natura sua nihil intelligens eorum, quæ sunt Spiritus DEI, sed ea pro stultitia habens, 1. Corinth. 2. vers. 14. Atqui peccatum est *Φεῖννα τῆς σαρκὸς* &c. Rom. 8. vers. 7. Ergò

Ergo peccatum non est spirituale, sed carnale & naturale.

XXVII. Quinto: Cujus respectu ad hominem lex divina dicitur spiritualis, id in homine carnale est & naturale. At lex divina peccati respectu ad hominem dicitur spiritualis: Ergo peccatum in homine est carnale & naturale. Major patet. Minor. Sic enim Paulus Rom. 7. v. 14. *Scimus autem quod lex spiritualis est: at ego carnalis sum venditus sub peccatum.*

XXVIII. Certum ergo est peccati naturam & essentiam non spiritualement, sed naturalem esse & carnalem; interim aliquid spirituale ei accedere vel etiam inesse, concedimus, nempe respectu illo, quem habet ad legem & quo hominem agit reum iræ DEI, & æternæ damnationis: Quemadmodum enim lex dicitur spiritualis ob summam suam perfectionem, & quod ob eam requirit non tantum externa membrorum obsequia, sed intimam insuper totius Spiritus obedientiam, integram, & absolutam: Et non perfecte obedientes subiaciat iræ divinæ: Sic relatio illa, quam inde accepit peccatum ad legem, nempe reatus, quem propter peccatum lex homini tribuit, ipsumque hanc ob causam accusat & damnat, spiritualis est ac dici potest, vel etiam quod non nisi ab homine spiritualiter affecto agnosci potest. Naturalis enim homo de hoc creatu nihil scit, nihil intelligit: est enim ei stultitia quia spiritualiter dijudicatur, 1. Cor. 2. v. 14.

XXIX. Quod præmonendum fuit ob subsequentes Becani argumentationes. Nam Metaphoricas illas de peccato locutiones in Scriptura usitatissimas esse, facile concedimus; an verò id statim inde efficiatur, quòd Sophisticis suis argumentationibus infert & concludit Jesuita, nunc videndum sequitur.

XXX. Hinc sumo tot argumenta, pergit Becanus, quor sunt metaphora. Et statim progreditur ad primum, in quo tria facit. 1. Probare conatur principalem suam thesin, nempe pec-

8 3

634



cata in justificatione realiter abluī ac tolli. §. 4. 2. Ostendere quando & quomodo illa fiat ablutio §. 5. 3. Demonstrare negata reali ablutione maximam injuriam fieri Christo & sanguini ejus. §. 6.

XXXI. Argumentum ergo ipsum proponit his verbis. Primum est: Quando macula, sordes & inquinamenta corporis eluuntur, absterguntur & emundantur per externam lotionem, tunc certo non manent in corpore, sed evanescent: Neque corpus dicitur amplius maculatum, sordidum, & inquinatum: sed mundum purum immaculatum: ergo similiter, servata proportione, quando macula, sordes & inquinamenta animæ, quæ sunt peccata, per internam lotionem eluuntur, absterguntur & emundantur, quod fit in justificatione, certo non manent in anima, sed omnino disparent: Neque anima dicitur maculata, sordida & inquinata, sed pura, munda, immaculata. De hac lotionem loquebatur David, Psalm. 50. vers. 9. Asperges me Domine hyssopo, & mundabor; lavabis me, & super nivem dealabor. Et Ezech. cap. 36. v. 25. Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris. Hac lotionem mundati erant, de quibus Apostolus 1. Cor. 6. v. 11. Hec quidem fuistis sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis. Ad hanc hortatur nos idem Apostolus 2. Cor. 7. vers. 1. Mundemus nos ab omni inquinamento carnis & Spiritus.

XXXII. Argumentum ergo Becani hoc est. Ut eluuntur sordes corpore per externam lotionem: Sic servata proportione eluuntur sordes Spirituales, quæ sunt peccata, per internam lotionem, quæ fit in justificatione: Atqui sordes corporeæ realiter eluuntur, ita ut evanescant, corpusque revera mundum & immaculatum dicatur: Ergo sordes quoque Spirituales servata proportione realiter eluuntur, ita ut evanescant, animaque revera munda & immaculata dicatur.

XXXIII. Quod argumentum, ita in suis terminis consistens, & rectè intellectum ac limitatum, nempe (ut hanc limitationem ipse Becanus addidit) servatâ proportione, concedere possumus. Quandoquidem limitatione illa significatur, quod lotio Spirituales non planè habeat eandem rationem & modum: quod etiam proportio saltè sit inter peccata & sordes corporeas. Proportio in hoc est: quod sordes externæ simpliciter

placiter dicuntur corporæ ac naturales, peccata vero tantum
secundum quid spiritualia, ut modo demonstravimus, nempe
non ratione essentia suæ, sed tantum ratione alicujus acciden-
tis, nempe *reatus*. Quare vi illius servatæ proportionis, realis
illa emundatio non potest de peccatis intelligi ratione essentia,
sed duntaxat ratione sui Spiritualis accidentis, nempe *reatus*.
Et ratione hujus omnino homo justificatus dici potest in con-
spectu DEI verè mundus, purus, immaculatus. Si autem quis
argumenti Jesuitici majorem ita intelligat & formet; *Vt sordes
externæ, quæ suâ essentiâ sunt naturales per naturalem & externam lotio-
nem eluuntur & emundantur: Sic quoque sordes internæ, nempe peccata,
quæ suâ essentiâ sunt spiritualia per internam & spiritualem lotionem elu-
untur & emundantur: Sic, inquam, majorem Argumenti Becani
intellectam & formatam, negamus. Quandoquidem falsum
est, peccatum suâ essentiâ spirituale esse; cum naturale sit & o-
mnino carnale, quod nobiscum nascitur, sicque inhæret ut cæ-
tera inseparabilia accidentia.*

XXXIV. Si autem concessa proportio rectè observatur,
sic argumentum formari debet: *Vt sordes naturales & corporæ cu-
jusque respectu homo in conspectu hominum maculatur & sordescit abluun-
tur externa lotionem à corpore: Sic illud, quod in peccato spirituale est, &
cujus respectu homo in conspectu DEI maculatur & sordescit, per internam
lotionem, quæ fit in justificatione, abluuntur: Atqui sordes naturales & cor-
poræ externa lotionem ita à corpore aburuntur, ut revera purum, & im-
maculatum sit; Ergò etiam id, quod in peccato spirituale est, & cujus re-
spectu homo in conspectu DEI maculatur & sordescit, nempe *reatus*, per in-
ternam lotionem, quæ fit in justificatione, ita ab homine justificato abluuntur,
ut in conspectu DEI revera purus & immaculatus consistat. Atque de
ejusmodi etiam lotionem & emundationem loquuntur allegata
Scripturæ dicta: Et nihil efficit Becanus.*

XXXV. Alterum nempe quando & quomodo illa fiat
ablutio, ita *§. 5.* describit Becanus: *At quando & quomodo fit hæc
ablutio? persistam in allata similitudine. Solent in civitatibus, ad ma-
culas & sordes corporis extergendas, esse balnea. Idem fit in Ecclesia. Ha-
bet duo publica ballnea Baptismum & penitentiam. In priori omnium
pecca-*

peccatorum, tam originalis quam actualium: In posteriori, actualium tantum sordes eluuntur. In priori purgatus est Saulus, cui dixit Ananias Actor. 22. v. 16. Exurge & baptizare, & abluere peccata tua. In posteriori David, Petrus, & Magdalena loti sunt, quando lachrymis peccata sua detestabantur. Porro hæc balnea non aqua naturali sed pretioso Christi sanguine plena ac referta sunt, quo abluimur, 1. Johan. 1. v. 7. Sanguis Christi emundat nos ab omni peccato. Apoc. 1. v. 6. Lavit nos & peccatis nostris in sanguine suo. Hebr. 9. v. 13, 14. Si enim sanguis hircorum & taurorum inquinatos sanctificat ad emundationem carnis, quanto magis sanguis Christi emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis ad serviendum Deo viventi?

XXXVI. Respondemus, & hinc similitudinem strictè continendam esse intra suos terminos. Concedimus quod in Baptismo peccata tam originalia, quam actualia remittantur: ut etiam verè pœnitentiam agens, & verà fide meritum Christi amplectens, consequatur remissionem peccatorum; sed ut non hic, sic neque ibi ipsa essentia peccati eradicatur & tollitur, sicut ut nihil amplius sit in renato, quod rationem peccati, propriè sic dicti, obtineat, sed remanet omnino in Baptisato & regenerato concupiscentia, aliæq; peccati originis reliquæ, cum quibus renato assiduò conflictandum. Atque hoc est, quod Augustinus dicit: peccatum transit reatu; manet autem actu. Et, ut idem clarius se explicat: peccatum in baptismo remittitur, non ut non sit, sed ut non imputetur; lib. 1. de nupt. & concupiscent. ad Valerium cap. 25. Ut ergò in omni peccato duo sunt, nempe ejus depravatio & reatus; sic in peccato originis sunt duo depravatio omnium vitium, & reatus. Hic in baptismo & remissione peccatorum pœnitentis tollitur, nec quicquam ejus, quod ad damnationem Renatis & justificatis obstat, remanet: interim tamen vires depravatae, licet & ipsæ renovari incipiant; manent tamen reliquæ; neque renovatio hæc in vita plenè unquam absolvitur.

XXXVII. Unde jam promptum erit colligere, concupiscentiam hanc in renatis reliquam, licet ipsis ad damnationem non imputetur, naturam tamen suam, sive in se & per se, revera peccatum esse. Quod probatur exemplo Pauli: qui de se ipso

ipso renato loquens, peccatum in se habitare, & omne malum
preparare satis tragicè conqueritur, ad Rom. cap. 7. Unde sic
argumentor: Quod habitat in verè renato, atque in illis omne malum
preparat; id totum neque per baptismum, neque per penitentiam ex car-
ne renatorum est sublatum, sed in illis adhuc est secundum essentiam
suam reliquum: Atqui peccatum habitat in verè renato, ut in Paulo, &
in illis omne malum preparat: Ergo totum peccatum neque per Bap-
tismum, neque per penitentiam tollitur, sed secundum suam essentiam ad-
huc in renato manet reliquum.

XXXVIII. Deinde: Quod ipse Apostolus diserte &
multoties peccatum dicit, ipsique effecta peccati proptia tri-
buit in renatis: illud non metaphoricè dicitur; sed propriè
& revera in renatis est peccatum: Atqui concupiscentiam A-
postolus diserte, & decies quater uno capite 7. ad Romanos, nem-
pe vers. 5. 7. 8. bis, 9. 11. 13. ter, 14. 17. 20. 23. 25. peccatum nomi-
nat, & reliqua in renatis effecta peccati proptia tribuit, ut sunt
pugnare cum hoc præcepto DEI: Non concupisces, Rom. 7.
vers. 7. Venundare sub peccatum, vers. 14. operari malum vers. 17.
& 20. repugnare legi mentis & captivos nos reddere sub lege
peccati, quæ est in membris vers. 23. imaginem DEI in renatis
obfuscare, & quasi obliterare, adeoq; ejus restaurationem im-
pedire, Rom. 7. vers. 24. &c. Ergo concupiscentia in renatis non
metaphoricè dicitur, sed propriè & revera est peccatum.

XXXIX. Tertiò: Quod præceptis decalogi prohibe-
tur, illud propriè est peccatum: Atqui concupiscentia pro-
hibetur nono & decimo præcepto: Ergo est propriè pecca-
tum. Major est ὁ ἀντιστοιχίας, Joban. 1. cap. 3. vers. 4. ἡ ἀμαρ-
τία ἐστὶν ἀνομία. Non ergo curamus exceptionem Bellarmini,
quæ prætendit, non omne, quod pugnat cum lege Dei, peccatum esse.
cum homo repugnet legi divinæ; non verò peccatum sit. Insignis enim
est malitia: cum ipse ignorare non possit, ingentem dissimili-
tudinem in exemplo: & hominem non peccare quatenus ho-
minem, sed quatenus corruptum; proindeque aliud esse sub-
stantiam, quæ homo dicitur; & aliud corruptionem sive viti-
um substantiæ hominis, sive ipsi homini inhærens.

©

40. Quartò

XL. Quarto: Quod in renatis est exuendum, crucifigendum, debellandum, mortificandum; illud malum in renatis adhuc superesse necesse est: Atqui concupiscentiæ ista omnia competunt, Rom. 6. v. 12. Gal. 5. v. 16. Ephes. 4. v. 22. &c. Ergo concupiscentia est malum & peccatum quod in renatis superest.

XLI. Quinto: Ubi mors locum habet, ibi quoque est malum peccati propriè dicti: Atqui in renatis locum habet mors: Ergo in illis est quoque malum peccati propriè sic dicti. Connexionem Majoris probat illud Apostoli Rom. 5. vers. 23. *Stipendium peccati est mors.* Minorem probant exempla satis manifesta. Sic multi infantes statim post Baptismum moriuntur. Sic sanctissimi quique, Abraham, Isaac, Iacob, David, Paulus &c. de quorum justificatione nemo dubitare potest; per mortem abrepti sunt.

XLII. Tandem: idem docuit orthodoxa antiquitas. Sic Augustinus, lib. 5. contra Julian. cap. 3. *Concupiscentia carnis, inquit, adversus quem bonus concupiscit Spiritus, peccatum est: quia inest illi inobedientia contra dominatum mentis: Et peccati poena est, quia reddida est meritis inobedientis: Et causa peccati est defectione consentientis vel contagione nescientis.* Sic tract. 41. in Johann. *Non regnet peccatum in nostro mortali corpore: Non ait: NON SIT: Sed NON REGNET. Quamdiu enim vivis, necesse est esse in membris tuis: saltem illi regnum auferatur: non fiat, quod jubet.* Bernhardus in sermone de cœna Domini: *In casu, inquit, primi hominis cecidimus omnes: cecidimus autem super acervum lapidum & in lutum. Vnde non solum inquinati, sed & vulnerati sumus & graviter quassati: Lavari quidem citò possumus; ad sanandum verò opus est curatione multâ. Et mox: De concupiscentia diximus, quod licet damnationem abstulerit Christus: tamen ad humiliandos nos ipsam (concupiscentiam) adhuc patitur vivere in nobis, & graviter affligere nos, ut sentiamus, quid nobis gratia præstet, & semper ad illius auxilium recurramus.*

XLIII. Tertium est, quod per latus Calvini & Calvinistarum nos Lutheranos accusat Becanus summæ injuriæ, quam doctrinâ nostrâ de justificatione faciamus Christo & san-

sanguini ejus. Ubi duo facit Jesuita. 1. Offendit in quo consistat injuria Christo illata. 2. Calvinianos partim præcepto-ri contradicere & sententiam Pontificiorum probare, partim etiam secum ipsis dissentire, pluribus probare conatur.

XLIV. Prius proponit Jesuita his verbis: *Hinc patet, quantam injuriam Calvinus faciat Christo & sanguini ejus, cum asserit, sordes peccatorum non abluī in Baptismo, sed manere.*

XLV. Sic ergo argumentatur Becanus: *Qui asserunt sordes peccatorum non abluī in Baptismo, sed manere; illi summam injuriam faciunt Christo & sanguini ejus; Atqui Lutherani cum Calvinianis asserunt sordes peccatorum non abluī in Baptismo, sed manere: Ergo Lutherani cum Calvinianis summam faciunt injuriam Christo & sanguini ejus.* Majoris probatio continetur in dictis Scripturæ in fine præcedentis paragraphi allegatis, ut patet, 1. Johan. 1. v. 7. *Sanguis Jesu Christi emundat nos.* Apocal. 1. v. 6. *Lavit nos à peccatis &c.* Heb. 9. vers. 13. Id quod indicat Becanus, quando paragraphum hunc sic orditur: *Hinc patet, quantam injuriam Calvinus faciat Christo &c.*

XLVI. Respondemus ad majorem, committi inibi fallaciam à dicto secundum quid &c. Est ergo limitanda hoc modo: *Qui simpliciter & ἀπλῶς negat sordes peccatorum abluī, & contra affirmat illas per omnia manere; ille est injurius in Christum.* Ad minorem ergo respondemus negando. Nos enim nequaquam simpliciter negamus sordes peccatorum in Baptismo non abluī: Sed pleno ore affirmamus ac defendimus verissimè & realissimè auferri & aboliri peccatum in Baptismo, quatenus illud ex oculis DEI vindicis & judicis amovetur, hoc est, per gratiam remittitur & condonatur, licet id in omnium hominum oculis sapius adhuc sit aspectabile & obvium. Tollitur ergo omnino atque aboletur in Baptismo peccatum originale; Sed remittendo atque id non imputando, hoc est, non tollitur ipse peccati actus & natura in se considerata; Sed peccati reatus, quo ad salutem obesse haud possit, uti id patet ex præcedentibus.

XLVII. Contradictionem porrò apparentem sic proponit Becanus : Et meritò puduit Calvinistas sui præceptoris, quando contra illum scripserunt hæc verba in Catechismo Palatino, quest. 69. Christus externum aque lavacrum mandavit, addita hæc promissione, non minus certo ipsius sanguine & Spiritu à sordibus anime, hoc est, ab omnibus meis peccatis lavari, quàm aqua extrinsecus ablutus sum, qua sordes corporis expurgari solent. Et quest. 78. Cur Spiritus Sanctus Baptismum appellat abluitionem peccatorum. Ut nos doceat, quemadmodum sordes corporis aqua purgantur, sic peccata nostra sanguine & Spiritu Christi expiari. Et ibid. Ut nobis hoc divino Symbolo certum faciat, nos non minus verè à peccatis nostris interna lotionè abluimur, quàm externa & visibili aqua abluti sumus. Hæc verba à Calvinistis prolata, mirè nobis favent, & apertè pugnant cum illis Calvini verbis, in antidoto Concilii Tridentini ad sess. 5. Manet verò peccatum in nobis, neque per Baptismum extinguitur. Nec mirum est, discipulos præceptoris non consentire, qui secum ipsi dissentiant. Nam in eodem Catechismo docent, peccata in hac vita non tolli, sed tegi, tolli autem seu aboleri in discessu ex hac vita per mortem. Verba illorum sunt hæc, quest. 36. Quem fructum percipis ex sancta conceptione & nativitate Christi? Quod is noster sit Mediator, & sua innocentia & perfecta sanctitate, mea peccata tegat, ne in conspectum DEI veniant. Et quest. 42. Mors nostra non est pro peccatis nostris satisfactio, sed peccati abolitio, & transitus in vitam æternam. At quomodo hæc duo coherent: Nos verè abluimur à peccatis nostris in hac vita per sanguinem Christi; & peccata nostra jam tegi, ac in morte demum aboleri! Nimirum, Omne regnum divisum contra se desolabitur, Matth. 12.

XLIX. Apparentem, inquam, esse hanc contradictionem, fictamque in cerebro Jesuitico. Apparentia illa facile tollitur, responsione jam ad argumentum datâ. Lavamur enim omninò ab omnibus sordibus peccati, quoad reatum: Et sic omnes sordes peccatorum ex conspectu DEI tolluntur: essentia verò peccati licet maneat in membris nostris; tegitur tamen; quæ verò totaliter tolletur & abolebitur per totalem resolutionem essentiae humanæ, nempe in discessu ex hac vita per mortem. Atque sic optimè hæc duo coherent: Nos verè abluimur à peccatis nostris in hac vita per sanguinem Christi; & peccata nostra
jam

jam regi & in morte demum aboleri. Cum duo sint in peccato, ut aliquoties diximus. 1. Fundamentum sive essentia peccati. 2. Relatio peccatoris ad justitiam Dei, nempe Reatus. Hic (qui pars peccati formalis dicitur Scholasticis) verè ac plene abluatur ac tollitur. Quia ergò illud ipsum est, quod facit, ut homo à lege ac justitia Dei accusetur, & verè per Baptismum & remissionem tollitur; utique ipsum peccatum abluatur & tolli dici potest, ac dicitur locis allegatis. Illud contra, nempe fundamentum & essentia, manet, ita tamen, ut quia reatus sublatus est, & eò, quia sublatus est, tegatur ac demum in morte aboleatur.

XLIX. Sanè si hanc distinctionem, diversosque hosce respectus concedere recuset Jesuita, manifestam contradictionem in scripturis concedere cogetur. Nam utrumque dicit scriptura peccata abluere, & peccata regi, remitti & non imputari, ut Psalm. 32. vers. 1. & 2. *Beatus vir, cui remissa est praevaricatio, cui restitum peccatum: Beatus homo, cui non imputat Jehova iniquitatem.* En in dicto illo omnes tres terminos habemus, quorum semper unus explicat alterum. Et Apostolus Paulus Rom. 4. vers. 7. Illud repetit & explicat de nostra coram DEO justificatione, ac aeterna beatitudine, & quidem ita, ut quilibet satis intelligat, non loqui vel Paulum vel Davidem, de reali essentia peccati ablutione, sed de gratuita remissione, & imputatione, quam Paulus λογισμὸν nominat, quae sic comparata est, quod Deus nostra peccata suo Filio imputat, ac si ipse ea perpetrasset; & contra Christi perfectam obedientiam nobis accenset non aliter, ac si ipsi eam praestissemus.

L. Hæc conciliet Jesuita, si potest, cum sua opinione & interpretatione allegatorum dictorum. Aut hæc dicta erunt falsa, aut ejus opinio & interpretatio. Nam quod tantum remittitur ita, ut tegatur & non imputetur; id necesse est, ut insit. Quemadmodum etiam ipsimet justificati & renati peccatum in membris suis habitare conqueruntur, ut modò allegatis dictis scripturae & exemplis verè justificatorum id est satis demonstratum.

O. A.

si. Quare

LII. Quare sic argumentamur: Is non est injurius in Christum, qui docet ac statuit de ablutione peccatorum, ut illa revera fit, & revera fieri in Scripturis sacris est manifestata; nempe quod Christus perfectè in se tulit omnia peccata, *Esa. 53. vers. 4.* pro omnibus satisfaciendo. 2. à reatu peccati perfectè nos liberavit. 3. residuam in nobis concupiscentiam magis magisque mortificet. & 4. tandem omne quod residuum est de peccato penitus per mortem, & ex morte resurrectionem ad vitam æternam à nobis tollat: Atqui nos Lutherani docemus & statuimus de ablutione peccatorum, ut illa revera fit, & in Scripturis sacris est manifestata &c. Ergò nos Lutherani nequaquam sumus injurii in Christum, sed potius perfectum Salvatorem credimus & celebramus.

LIII. Contrà, qui ita docet & statuit de ablutione peccati, ut Scriptura sibi cogatur contradicere, & sic mentiri, enervat meritum Christi, Christumque imperfectum Salvatorem constituit; is injurius est in Christum & ejus sanguinem: Atqui ita statuunt ac docent Jesuitæ de ablutione peccati &c. Ergò Jesuitæ sunt injurii in Christum & sanguinem ejus.

LIII. Major est certa, & minor hætenus est probata. 1. De contradictione, quia cogitur Scriptura, quando dicit peccata tegi, & tamen non imputari; illud rursus negare, & sibi contradicere; peccata non tegi, sed realiter tolli, non saltem non imputari; sed plane etiam quoad actum auferri. Justificatos quando dicit conqueri de peccatis habitantibus in membris suis, simul illos mendacii arguat, cum in membris suis peccatum amplius non habeant. 2. Enervant Jesuitæ meritum Christi, & Christum imperfectum Salvatorem constitunt: quippe qui in justificatione non ut solitaria causa meritoria relinquatur, sed adduntur merita de congruo & condigno; justitiæque nostræ formalis actio & ratio justificationis tribuitur, quæ tamen soli justitiæ Christi competit. Imputationi Justitiæ Christi non tantum tribuunt quantum operi-

ergo .12

ε D

operi-

operibus supererogationis Monachorum certâ peccuniâ di-
venditis & emptoribus imputatis. Hæc enim ipsorum o-
pinione emptores justos fcaere possunt : non verò imputata
justitia Christi. Hæc de primo argumento. De
cæteris agemus in sequenti dispu-
tatione.

*Adbuc prima pars questionis
primæ.*

Τῷ Θεῷ δόξα.



opibus in ...
...
...
...
...

...

...

...



99 A 6900

ULB Halle 3
002 622 092



SB

Repro

VD 77







20

I SECUNDI
Confessionem
ATIO V.
tinens
ARTICULI IV.
ÆSTIONE,
ta penitus
Justificatione,
posita
Academiâ V Vittebergenſi,
SIDE
ARTINI, SS. Th.
rimario, Facult. Theol.
pli Arcis Præposito:
ONDENTE
DRO KESSELIO,
rgâ-Cherufco.
ditorio Collegii Veteris
em 29. Auguſti.
EBERGÆ,
LOMONIS AVERBACH,
M DC XXIX.